

*Recepisti bona, et Lazarus mala;
nunc hic consolatur, tu vero cruciaris.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam 16, 19-31

In illo témpore: Dixit Iesus pharisæis:

- ¹⁹ «**H**omo quidam erat dives
et induebátur púrpura et bysso
et epulabátur cotidie splendide.
- ²⁰ Quidam autem pauper nómine Lázarus
iacébat ad iánuam eius ulcéribus plenus
- ²¹ et cúpiens saturári
de his, quæ cadébant de mensa dívitis;
sed et canes veniébant et lingébant úlcerá eius.
- ²² Factum est autem ut morerétur pauper
et portarétur ab ángelis in sinum Abrahæ;
mórtuus est autem et dives et sepúltus est.
- ²³ Et in inférno élevans óculos suos
cum esset in torméntis,
vidébat Abraham a longe et Lázarum in sinu eius.
- ²⁴ Et ipse clamans dixit:
“Pater Abraham, miserére mei
et mitte Lázarum,
ut intíngat extrémum dígiti sui in aquam,
ut refrigéret linguam meam,
quia crúcio in hac flamma”.
- ²⁵ At dixit Abraham:
“Fili, recordáre quia recepísti bona tua in vita tua,
et Lázarus simíliter mala;
nunc autem hic consolátur,
tu vero cruciáris.
- ²⁶ Et in his ómnibus inter nos et vos
chaos magnum firmátum est,
ut hi, qui volunt hinc transíre ad vos, non possint,

neque inde ad nos transmeare”.

²⁷ Et ait:

“Rogo ergo te, Pater,
ut mittas eum in domum patris mei

²⁸ — hábeo enim quinque fratres —

ut testétur illis,
ne et ipsi véniant in locum hunc tormentórum”.

²⁹ Ait autem Abraham:

“Habent Móysen et Prophétas;
áudiant illos”.

³⁰ At ille dixit:

“Non, pater Abraham,
sed, si quis ex mórtuis íerit ad eos,
pæniténtiam agent”.

³¹ Ait autem illi:

“Si Móysen et Prophétas non áudiunt,
neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent”».

Verbum Dómini.